

critiques, fut explicitement approuvé, entre autres, par M. Havermans, de l'abbaye de Saint-Michel d'Anvers.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

P. ZERBI, *Papato, Impero, e « Respublica Christiana » dal 1187 al 1198*. (Pubblicazioni dell'Università Cattolica del S. Cuore. Nuova Serie. Vol. LV). Ed. : Vita e Pensiero, Milano. Pp. xv+197. Pr. : 3200 L.

Liber iste non exhibet — quod inscriptio libri forte indicare posset — studium de iis quae, decurrente Medio Aevo, designabantur notionibus « Summus Pontificatus : Imperium : Respublica Christiana ». Agitur in praesenti de expositione historica eorum quae, prae oculis habendo themata in inscriptione indicata, decurrentibus annis 1187-1198, a Summis Pontificibus Clemente III (1187-1191), et Coelestino III (1191-1198) acta fuerunt. Duo isti summi Pontifices non annumerari solent inter Pontifices qui specialem splendorem Sedi Apostolicae contulerunt aut Ecclesiam Dei manu valida rexerunt. Pontificatus horum duorum Summorum Pontificum in hoc libro prae oculis ponitur a Prof. Zerbi, nunc iam Lectore Hist. Ecclesiasticae in Universitate Catholica S. Cordis in civitate Mediolanensi.

Quando Clemens III in Summum Pontificem electus fuit. Islamismus magnum periculum erat pro Ecclesiae. Huic periculo minuendo, et devincendo, S. Pontifex sese manu valida accinxit. Clemens III erat magnus organizator, ordinate et methodice semper procedens ; non vero seminator novarum idearum aut conceptionum. Quod semper prae oculis habuit, est istud : inter fluctuantes vices eventuum politicorum, exquirere adiutorium illorum qui debita reverentia missionem spirituales Ecclesiae agnoscerent et secundarent. Imperium spirituale Ecclesiae promovere intendebat. Revera, durante eius Pontificatu, S. Sedes magis magisque facta est centrum circa quod christiani omnes sese aggregare coeperunt.

Clementi III succedit Coelestinus III ; jam plusquam octogenarius, quando S. Petri cathedram ascendit. Iste (Cardinalis Hyacinthus), quondam defensor Abaelardi, varia munia, qua Cardinalis et missus pontificius, in servitium Ecclesiae obierat : hac ratione, iam ante susceptum summum pontificatum, omnino expertem se exhibuerat in moderandis rebus publicis. Praeterea erat vir vere pius ; eminebatque in ipso spiritus iustitiae. Cum iam esset proventus aetate, quando munus Pontificatus suscepit, prima fronte non amplius magna operositas ex sua parte expectare potuerant electores. Sed eventus aliud probaverunt. Per plures annos Sedem Apostolicam rexit, zelans manu forti pro Ecclesia Christi. Libertatem spiritualem Ecclesiae summis conatibus intendit et promovere potuit. Leges morales, simulque iura legum moralium energice defendit. Huic Coelestino III succedit Innocentius III. Omnibus notissimum est, sub

isto Pontifice, Ecclesiam summam potestatem nactam esse. Huius facti explicatio iure quaeri potest in maximis dotibus, quibus praeditus erat Innocentius III. Sed nonne et praedecessori, Caelestino III, aetate provento, praecise sub hoc respectu, meritum speciale tribuendum est ?

Ita compendiose exhibuimus ea quae a Prof. Zerbi in hoc volumine exponuntur. Omnia haec exposita non simpliciter asseruntur ; sed dicta et asserta fundantur declarationibus veterum et modernorum scriptorum ; opus publicatum praesupponit longas accuratasque inquisitiones in tabulariis et bibliothecis ; quae de caetero apte in synthesim compilata, revera opus « magistrale » constituunt.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

P. A. VAN DEN BAAR, *Die kirchliche Lehre der Translatio Imperii Romani bis zur Mitte des 13. Jahrhunderts*. Analecta Gregoriana. Series facultatis Historiae Ecclesiasticae. Sectio B. n. 12. XX + 152 pp. Ed. : Universitas Gregoriana, Rome.

Apud scriptores ecclesiasticos antiquos, potissimum apud iuristas tam canonicos quam civiles, saepissime sermo est de « translatione imperii Romani ». Quid sibi vult ista denominatio ? Quisnam fuit influxus denominationis et formulae istius in vita Ecclesiae ? En, paucis, thema dissertationis, conscriptae, moderante Prof. Kempf, ad obtinendum gradus Doctoris in Facultate Historiae Ecclesiasticae apud Universitatem Gregorianam, in Urbe. Omnibus profecto notum est, Summos Pontifices in antiquitate aliam rationem agendi habuisse erga potestates civiles, quam nostris temporibus, ut servarentur conditiones aptae vivendi pro christianis, in requisitis pro vita genuine christiana. Quid in defensione huius rationis agendi valuit formula « translatio Imperii Romani » ?

Regnum et Sacerdotium arcto vinculo iuncta erant antiquis temporibus, apud scriptores et gubernatores. Imperatores non raro incoronabantur a Summo Pontifice. Auctor Van den Baar inquisitionem suam exoritur incoronatione Caroli Magni, ut paulatim descendat ad theorias et rationem agendi Summi Pontificis, S. Gregorii VII. Non vacat in praesenti haec omnia delibare. Sufficiat nobis summo-pere laudare curam qua varii respectus historici, necnon canonici quaestionis pertractentur ; analysi instituta, synthesis pervia proponitur ; atque indicare conclusiones generales inquisitionis : Formula et theoria « translationis imperii Romani » in ordinandis relationibus inter Imperium et Ecclesiam sunt valde antiquae ; saeculo duodecimo saepe invocari solent. Innocentius III videtur primus esse qui rationem suam practicam agendi super formulam illam fundat. Post Innocentium evasit thema pro permultis considerationibus potius theoreticis et speculativis. In praxi proinde formula illa quasi nullius